

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Quintus De Illuminatione.

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

ut mentis nostræ oculos illustret, ut sciamus, quid sperandum sit nobis, ab eo vocatis, Eph. I, 17. 18. et (4) ita nos gerere, ut dignum est ista conditione, ad quam vocati sumus, et vocatum nostri, sanctimoniam studendo, crucemque Christi libenti animo suscipiendo, magis magisque ratum efficere, 2 Petr. I, 10. 1 Thess. II, 12. Eph. IV, 1. 1 Petr. I, 13-16.

## §. X.

Solatium  
quod-  
nam?

*Solatium* est, (1) quod Deus incredibili amore homines complectatur, quandoquidem ipsos summe miseros et perditos ita querit, et ad tot bonorum perfruitionem inuitat, 2 Tim. I, 9. Tit. III, 3. 4. (2) quod vocatio ex parte Dei seria sit et efficax, et nos adeo sufficientem gratiam accipiamus, ut Deo vocanti parere et fideles manere valeamus, Phil. I, 6. vid. §. VII. (3) quod cum obedientia, diuinæ vocationi præstata, mera vita et pax coniuncta sit, Rom. VIII, 6. 13. (4) quod ex gratiæ vocationis acceptione eiusque durante operatione de æterna electione et huius et futuræ vitæ beatitudine certi esse possimus, Rom. VIII, 28. 30.

## ARTICVLVS QVINTVS

DE

## ILLVMINATIONE.

## §. I.

Hic arti-  
culus

**S**i quis diuinæ vocationi morem gerit, eius-

eiusque efficaciam ad veram pœnitentiam quomodo et conuersionem admittit, tum diuinæ etiam cum ante-  
*illuminationis*, tamquam secundi beneficii, cedente  
 quo Deus respectu status gratiæ se patefa- cohæret?  
 cit, fit particeps; de qua potiora momen-  
 ta in hoc articulo memoranda sunt. Vid. ex-  
 plicatio articuli tertii Symboli Apostolorum.

## §. II.

*Illuminans*, Deus triunus est, qui ipse Illumi-  
 nens  
 lumen est, nec vllæ in eo tenebræ sunt, 1 Io. quis?  
 I, 5. *Pater*, Iac. I, 17. 2 Cor. IV, 6. *Filius*,  
 qui hinc lux mundi et hominum vocatur,  
 Io. I, 4. 5. 9. VIII, 12. IX, 5. XII, 46. Luc.  
 II, 32. Act. XXVI, 23. Eph. V, 14. et *Spiri-*  
*tus sanctus*, ideo dictus Spiritus scientiæ,  
 sapientiæ et patefactionis, Eph. I, 18. Ies.  
 XI, 2. 1 Cor. II, 10.

## §. III.

*Illuminationis* autem, ob naturalem Illumi-  
 nandi  
 ignorantiam et cæcitatem in rebus spiritua- quinam?  
 libus, ad quam excæcantis satanæ fraudes  
 multæque præconceptæ opiniones accedunt,  
 2 Cor. IV, 4. nec non ob rerum, ad salutem  
 nostram cognoscendarum, (quas Apostolus  
 σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, sapientiam latentem in  
 mysterio, appellat 1 Cor. II, 6-16.) et residuo  
 naturæ lumini haud comprehensibilem,  
 sublimitatem, omnes omnino homines sunt  
 indigi, Eph. IV, 17. 18. Luc. I, 79. Deus  
 etiam paratus est cuilibet tantum luminis  
 impertire, quantum ad consequendam salu-

tem opus ei est, 1 Tim. II, 4. Io. I, 5. 9. Eph. III, 9. Verumtamen luminis gratiæ haud vlli capaces sunt, nisi qui ad bonam frugem redeunt et ex spiritali morte peccatorum se patiuntur excitari, Eph. V, 14. 2 Cor. III, 14-16. 2 Tim. II, 25. Io. VII, 17. Pf. XXV, 4. Sap. I, 4. 5. Sir. IV, 19-21. Vnde plurimi, quia hunc ordinem ingredi nolunt, sed tenebras magis amant quam lucem, culpa sua luminis diuini cassi manent, Io. III, 19. Sap. V, 6.

## §. IV.

Quodnam *Medium ordinarium* illuminationis est ordinari- *verbum diuinum*, quod homo debet legere, um medi- audire, meditari, et permittere, vt in animo um illu- suo inferatur, 2 Petr. I, 19. Pf. XIX, 8. 9. Iac. minatio- I, 21. et quidem tam *legis*, quæ splendore nis? iridem prædita est, dum officium nobis nostrum, peccatum et iram diuinam aduersus peccatum patefacit, 2 Cor. III, 7. 9. Rom. III, 20. VII, 7. 13. quam maxime *euangelii*, per quod Spiritus sanctus claritatem Dei in facie Iesu Christi patefacit, et ex quo proprie sic dicta illuminatio oritur, 2 Cor. IV, 4. 6. Et quum *doctoribus* et *ministis* ecclesiæ hoc ipsum adnuntiandi datum sit negotium, ideo et ipsis, tamquam *συνέργοις τῷ Θεῷ*, adiutoribus Dei, illuminatio sæpius tribuitur, Luc. I, 77. Act. XXVI, 18. 2 Cor. IV, 6. Eph. III, 9. Ex parte nostra huc tamquam ad ordinem spectant demissæ atque ardentes *preces*, vid. Pf. XXV, 4. 5. LXXXVI, 11. CXIX,

18. 34. 73. 135. Eph. I, 16. 17. 18. Col. I, 9.  
 Sap. IX, 9. Iac. I, 5. Sir. LI, 26. 27. Luc. XI, 13.  
 LUTHERVS Præfat. in part. I. libr. germ.  
 Tom. I. Alt. fol. 6. „Primum scire te oportet, esse  
 „sacram scripturam librum eiusmodi, qui sapien-  
 „tiam reliquorum librorum omnium insatuet,  
 „quia præter hunc unum solum haud ullus ali-  
 „us de vita æterna exponit. Quapropter de  
 „intelligentia sensuque tuo penitus desperare  
 „debes; illo enim non adsequeris, sed ista poti-  
 „us arrogantia te ipsum et alios tecum de cælo  
 „(quod Lucifero accidit) ad ima usque tartara  
 „præcipitabis. Positis autem in conclavi tuo  
 „genibus submisso et feruenti animo Deo sup-  
 „plica, ut per dilectum Filium suum tibi det  
 „Spiritus sanctum, qui te illuminet et ducat,  
 „intelligentiamque tibi largiatur, quemadmo-  
 „dum Dauidem Psalm. CXIX. semper vides  
 „precari: Doce me, Domine, erudi me, duc  
 „me, institue me, cetera, quum tamen sermo-  
 „nem Moysi aliosque libros plures bene haberet  
 „cognitos, quotidie etiam audiret ac legeret.  
 „Nihilominus ipsum verum sacrarum scriptu-  
 „rarum doctorem expetit, ut ne ratione sua in-  
 „teas inuolet, earumque magistrum sese agat.”

## §. V.

Ipsa illuminatio in eo posita est, quod Spiritus sanctus in lumine suo per verbum diuini-  
 tus sanctus in lumine suo per verbum diuini-  
 num veritatem cælestem menti hominis tam-  
 perspicue, tam efficaciter, tantaque cum con-  
 uictione proponit aperitque intelligendam, ut

Illumina-  
 tio qua-  
 nam in re  
 posita?

homo eam tamquam veritatem cognoscat, adeoque sciat, quæ ipsi Deus largitus est, et spiritualia spiritualiter diiudicare possit, Pf. XXXVI, 10. 1 Io. V, 6. Io. VII, 17. XVII, 8. 1 Cor. II, 12. 13. Matth. XI, 27. XVI, 17. Vocatur alias *patefactio abditæ et latentis in mysterio sapientiæ, quæ fit per Spiritum sanctum*, 1 Cor. II, 7. 10. *φωτισμός*, splendor, quem Deus, qui lucem ex tenebris lucere iussit, nostris immittit animis, 2 Cor. IV, 6. *dies illucescens et lucifer exoricens in cordibus*, 2 Petr. I, 19. *apertio oculorum et animi*, Act. XVI, 14. XXVI, 18. *patefactio Christi in nobis*, Io. XIV, 21. (vbi per emphasin vocabuli *ἐμ. δεικνῶ* actus imperiendi interius aliquod et spirituale lumen denotatur,) quando scilicet spiritus veritatis nobis donatur, com. 16. 17. vt intelligamus, Christum esse in Patre et nos in ipso, et ipsum in nobis, com. 20. siue *glorificatio Christi* c. XVI, 14. *renouatio noui hominis in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipsum condidit*, Col. III, 10. *lumen vitæ*, Io. VIII, 12. et aliis nominibus pluribus.

LVTHERVUS Post. Eccles. in euangel. dom. Misericord. Domini, Tom. XIII. Lips. fol. 568. b. „*Nos concionatores nihil amplius possumus, quam esse Domini nostri Iesu Christi nos et instrumentum, per quod verbum suum externa voce adnunciet. Verbum palam iubet pronunciari, vt omnes audiant; at enim vero*

„ut intra animum id ipsum percipiatur, hoc  
fides efficit, hoc occultum opus Christi est.,

## §. VI.

Illuminatio certos admittit gradus, ita Illumina-  
vt semper augeri et incrementa capere, et, tio anne  
si homo in accepta gratia minus fidelem se certos  
praestet, imminui et penitus cessare possit, gradus  
lo. XVII, 26. Col. I, 9-11. Phil. I, 9. Eph. I, admittit?  
17. 18. coll. com. 13. 2 Petr. III, 18. Rom.  
XII, 2. (vid. Marc. VIII, 24. 25.) Rom. I, 18.  
fq. quemadmodum etiam diuinum gratiae  
lumen diuersa cum mensura impertiri solet,  
vid. Matth. XXV, 15. fq. 1 Cor. XII, 11.  
Eph. IV, 7. Act. XVIII, 24-26. Illuminatio  
autem inde oriunda, dummodo vera est,  
diuinam, veram et viuam cognitionem  
parit, quam Christus vitam aeternam appel-  
lat, lo. XVII, 3. Contra ea quidquid rerum  
diuinarum extra illam solis rationis et natu-  
rae viribus comprehenditur, emortua et ste-  
rilis scientia est, qua fretus quisque perit,  
grauissimam poenam aliquando subiturus,  
Luc. XII, 47. Rom. II, 12. seqq.

## §. VII.

Præcipui diuinæ illuminationis chara- Quinam  
cteres sunt (1) vera amoris et misericordiae præcipui  
diuinæ fruitio, et (2) inde fluens euangelica eius cha-  
præceptorum Dei obseruantia, 1 Io. II, 3. 4. racteres?  
Io. VIII, 12. 1 Petr. II, 9. in primis (3) verus  
amor in Deum et alios homines, 1 Cor. VIII,  
3. 1 Io. IV, 7. 8. (4) animus mundum nihili,

Christum autem maximi facies, Phil. III, 8. seqq. (5) transformatio in imaginem Christi ex gloria in gloriam, 2 Cor. III, 18. (6) divina simplicitas, Psalm. XIX, 8. Matth. XI, 25. (7) humilitas et paupertas spiritus, 1 Petr. V, 5. 1 Cor. II, 3. c. VIII, 1. 2. 2 Cor. XII, 7. sine qua vera illuminatio locum in homine habere nequit.

## §. VIII.

Quod-  
nam se-  
cundum  
hanc do-  
ctrinam  
officium  
nostrum?

*Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) abnegata omni propria sapientia et intelligentia congenitam mentis nostrae cæcitatem submisit agnoscere, et a Deo illuminationem Spiritus sancti humillissime petere, Io. IX, 39. 41. Apoc. III, 17. 18. vid. supra §. IV. LVTHERVS præfat. in Postill. Eccles. 10. SPANGENBERGII Tom. VIII. Alt. fol. 45. a. „D. Paulus passim scribit, Christum Dominum nostrum esse mysterium, nec dubitat ecclesiam Ephesinam appellare mysterium. Id quidem olim, quum doctor theologia vocarer, pro simplice sermone habebam, quem probe intelligerem. Nunc autem ubi (Deo sit laus) iterum tiro in sacris scripturis factus sum, et semper minus minusque intelligo, ista verba mirabundus adspicere incipio, et ipsa experientia disco, omnino vocandum esse mysterium. Ut clara enim et perspicua (immo cum miraculis coniuncta) verba apostoli de eo facerent, tamen occultum manebat, et abditum summis et prudentissimis hominibus*  
in

„in orbe terrarum, uti Servator ait Matth.

„XI. *Hac sapientes peritosque celesti, cetera.*„

(2) Ad sermonem diuinum attendere, tamquam lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat et lucifer oriatur in animis nostris, 2 Petr. I, 19. (3) Agnitas in diuina luce veritates ad sanctæ vitæ studium in nobis finire esse efficaces ac fructuofas, et ita nos gerere, ut filios lucis decet, Io. VIII, 12. XVII, 17. Col. I, 9. 10. Eph. V, 8. 9. Matth. V, 15. 16.

### §. IX.

*Solatium* est, (1) quod Deus nos in naturali mentis cæcitare non relinquere, sed lumine vitæ collustrare velit, si præscripto ordini nos adcommodemus; (2) quod beneficio istius luminis et cælestis vñctionis de salute nostra certi esse, nec non veritatem a mendacio distinguere, siue spiritus explorare possimus, 1 Io. II, 27. IV, 1. 2 Tim. I, 12. (3) quod Deus lucem suam in nobis augere velit, si acceptam fideliter colloceamus, Matth. XIII, 11. 12. XXV, 28. 29. 2 Petr. I, 8. Ies. LVIII, 6-8. (4) quod, quum hic aliquatenus tantum agnoscamus, illic Deum præsentem coram visuri, eumque, ut est, cognituri simus, 1 Cor. XIII, 12. 1 Io. III, 2. Vid. Apoc. XXI, 23. XXII, 4. 5.